



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Circa Evangelium (Quis ex vobis arguet me de peccato) Multæ sunt aliæ  
veritates.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

Sicut ne pereat fides, perdenda est Martyrio  
vita naturalis: sic ne pereat fidelitas, per-  
denda est mortificatione vita sensualis.

A Cruce autem velut vexillo militari, mi-  
rum quantum excitari possis ad pugnandum  
contra repugnantes quosque naturæ corrup-  
tæ motus. Sic enim Fides, Ratio, & ipse Sen-  
sus simul copurrunt, unde triplex illo fuzi-  
culus efficitur, qui difficile rumpitur. Fides qui-  
dem in Christo passo ad exemplar nostrum;  
Ratio autem, quod cū Rex noster sit, qui nos  
præcedit in pugna, planè congruum est, ut  
eum propèsequamur; Sensus denique, cū  
ipsa crux, & qui in ea pendet Christus, oculis  
ubique objiciatur, ut verè possimus esse aspi-  
cientes in authorem fidei & consummatorem Ie-  
sum: quem & possimus audire dicentem no-  
bis, quod Gedeon suis: *Quod me facere videri-  
tis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, &  
quod fecero scietis. Tu verò illi respondebis,*  
*quod Ethai ad Regem David, Vivit Dominus,*  
*& vivit Dominus meus Rex. quoniam in quo-*  
*cunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in mor-*  
*te, sive in vita, ibi erit servus tuus. Adde &*  
*quod Gerson. En Rex noster ingreditur ante nos,*  
*qui pugnabit pro nobis, sequamur viriliter, ne-*  
*mo metuat terrores, simus parati mori fortiter in*  
*bello, nec inferamus crimen gloria nostra, ut fu-*  
*giamus à cruce.*

Videnda etiam esset hæc Veritas:

Expedit nullo die velle vivere, quam non  
omni die velle cum Christo mori.  
*In 3. parte, Feria 5. hebdomada 2.*

ALIÆ porò Veritates, quæ ab Evangelio  
peti possint, hæc sunt, cohærenter ad præci-  
puas Evangelicæ narrationis partes.

QUIS ex vobis arguet me de peccato?

Nulla, nisi primaria, satis esse potest cura de  
peccatis evitandis.

*In 4. parte, Dominica 18.*

SI Veritatem dico vobis, quare non creditis  
mibi?

Si quid nos revocat à doctrina Christi, vel ob  
id maximè recipienda est.

*In 1. parte, Feria 6. hebdomada 2. post Epi-*  
*phaniam,*

QUI ex Deo est, verba Dei audit.

Non est prius intelligendum ut credas, sed  
primò credendum est, ut post intelligas.  
*In hac 2. parte, Feria 2. hebdomada 4. post*  
*Pascha.*

PROPTEREA vos non auditis, quia ex Deo  
non estis.

Qui non audit, non audietur.

*In 3. parte, Dominica undecima.*

EGO demonium non habeo, sed honorifico pa-  
trem meum.

Quò quis est mitior, eò & generosior.

*In hac 2. parte, Feria 3. hebdomada 2. Qua-*  
*dragesima, ubi passim de contemptu sui, ac iniu-*  
*riis sufferendis.*

ET vos inhonorastis me.

Si cum nostris vitiis nostræ virtutes compa-  
rentur, plus nostris vitiis in honoratur Do-  
minus, quam nostris virtutibus honoretur.  
*In 4. parte, Sabbato hebdomada 19.*

EGO non quero gloriam meam; Est qui quarat  
& iudicet.

Hic erit verè maximus, qui verè est minimus.

*In hac 2. parte, Die 2. Aprilis. Et passim de*  
*Humilitate.*

SI quis sermonem meum servaverit, usque ad  
mortem scilicet, mortem non videbit in  
æternum.

Cæteræ pugnant Virtutes, sola vincit Perse-  
verantia.

*In hac 2. parte, Feria 5. hebdomada 3. Qua-*  
*dragesima.*

SI ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

Licet obrineres quod ambis, non esset con-  
tendendum: At verò licet contendas, non  
obtinēbis.

*In hac 2. parte, Sabbato Septuagesima, ubi de*  
*contentione ad gloriam agitur.*

Hæc